✠

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QUÆSTIO MEDICA, DE OPHTALMIA.

PRO LOCO

Inter Clarissimos & Excellentissimos,

Inclytæ Medicæ Facultatis,

DOCTORES & PROFESSORES,

In Alma Vniversitate Cracoviensi

obtinendo:

A

M. STANISLAO ANTONIO ŁOPACKI,

Philosophiæ & Medicinæ Doctore,

Publicè ad Disputandum,

In Peraugusto DD. Theologorum

Lectorio,

PROPOSITA.

Anno Domini 1691. Die 18. Mensis Septembr.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

QUÆSTIO MEDICA.

VTrum. Ophtalmia, quæ est inflammatio tunicæ adnatæ seu Albæ oculi cum rubore, ardore, & dolore, proueniens tum à sanguine, tum alijs humoribus calidis, acribus & vitiosis sanguini permixtis, in eandem tunicam adnatam sese effundentibus, oculos sanorum simili labe contaminans: curetur per Chirurgiam, Pharmaciam & Diætam? nec ne.

CONCLUSIO I.

Ophtalmia est inflammatio tunicæ adnatæ oculi cum rubore, ardore & dolore.

COROLLARIA.

I. Ophtalmia est morbus in intemperiè calidâ, magnitudine auctâ, & vnitatis solutione.

II. Optimè diuisa est Ophtalmia, in humidam quæ est cum lachrymarum effusione. Et siccam quæ absq; ijsdem contingit. In veram seu Legitimam, & non veram, seu spuriam.

III. Non raro ad Corneam tunicam Ophtalmia est extensiua, productiuaq; effectiuè in illa vlcerum.

IV. Vlcera oculi sunt fædæ solutiones membranarum eiusdem oculi & erodentia illas à materia acri.

V. Vlcera in adnata & Cornea Tunica apparentia, sunt ad cognoscendum facilia, ad Curationem verò difficilia & periculosa.

CONCLUSIO II.

SAnguis acris partim per se solus, partim cum alijs humoribus calidis acribus & vitiosis sanguini permixtus, in eandem tunicam adnatam sese per venas effundens producit Ophtalmiam.

COROLLARIA.

I. Partim per affluxum ad adnatam tunicam humorum contrariâ qualitate peccantium, partim per congestionē eorum fit ophtalmia.

II. Hepar Nobilissimum Corporis naturalis viscus per se contumacium ophtalmiarum origo esse potest.

Humo-

III. Humores frigidi ſecundùm propriam eſſentiam, non poſſunt efficere Ophtalmiam, ſed per accidens.

IV. Aer nimis calidus cibi & potus calidi, retenta, motus nimius, animi pathemata, ſol, fumus, pulvis, vapor, flatus, oleum, &c. poſſunt etiam effectivè concurrere ad productionem ophtalmiæ.

V. Si Hyems fuerit ſicca & Aquilonia, Ver verò pluvioſum & Auſtrale æſtate ophtalmiæ fieri conſueverunt, præcipuè in mulieribus & viris natura humidioribus. Hippocrates Aph. 11. Sectionis 3. Et Aph. 12. ejusdem Sectionis. *Si Hyems Auſtrina & pluvioſa fuerit, Ver ſiccum & Aquilonium Ophtalmiæ ſiccæ fiunt.*

CONCLUSIO III.

Ophtalmia ſua labe ſanorum oculos afficit.

Galenus 1. *de differentia febrium Cap.* 2.

COROLLARIA.

I. Ophtalmiam ab uno oculo ad alium tranſire, ut plurimum quotidiana nos docet experientia.

II. Non ſolùm ſpiritus viſorij hîc, ſed etiam ipſi Naturales, Animales vitales mediantibus humoribus conturbantur, ratione cuius perturbationis Ophtalmia magna ex parte, ſed non ſemper præcedit peſtem. Alexander 2. Problematum 104.

III. Per attractionem humorum putridorum in Univerſum oculum, illiq́ꝫ permixtorum fit conturbatio ſpirituum.

IV. Viſus in Ophtalmia non per ſe, ſed per accidens afficitur.

V. Febris in Ophtalmia per conſenſum, ſeu per accidens & non eſſentialiter morbus eſt.

CONCLUSIO IV.

Ophtalmia curatur per Chirurgiam, Pharmaciam & Diætam.

COROLLARIA.

I. Vena ſectio convenit partim ex Baſilicâ, partim Cephalicâ, partim frontis, temporum, ſaphena, pro exigentia neceſſitatis, Hirudinumq́ꝫ applicatio.

II. Frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ, veſicatoria per modum revulſionis adiuvant curationem ophtalmiæ.

III. Deſumptâ indicatione à morbo, à cauſa morbi & à viribus conveniunt in curatione Ophtalmiæ refrigerantia, revellentia, derivantia, evacuantia, & corroborantia partem affictam.

IV. Si

IV. *Si malum non sit ex plenitudine sanguinis, sed à pravitate humorum, tunc praeparati humores Syrupis accommodatis erunt purgandi, Pituitosi Agarico Pill. Cochiis. Biliosi Scammonio Rhabarbaro, melancholici Pill. Alephanginis, de lapide Lazuli & sic vnusquisq; humor proprio purgandus remedio. In principio etiam Ophtalmiae non sunt statim adhibenda inspissantia fortia & quae sint vehementer styptica.* Docente Avicenna 3tia Fen. Tractatu 1. Cap. 9. *quoniam inspissant tunicas & prohibent resolutionem, augentq; dolorem: ad quem leniendum commendatur à Galeno albumen ovi agitatum & in aquam conversum, mucilago seminis Psillii, Cydoniorum, Faenugraeci, cum aqua Rosarum extracta, lac muliebre instillatum, Trochisci Albi Rhasis &c. Narcoticis etiam in curatione hâc parce & considerate vtendum.*

V. *Aër temperatus, purus, obscurus eligendus est, Acria, salsa, piperata, vaporosa vitanda sunt, adhibendusq; victus refrigerans, vt Phtisanna ex hordeo & liquiritia &c. Motus vitandus, quies imperanda, somnus conciliandus, alvus fluida servanda.*

Soli DEO Honor & Gloria in æternum.

SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS,

Magnifici, Perillustris, & Admodùm Rndi Domini,

D. M. FRANCISCI IOSEPHI PRZEWOSKI,

S. Th: Doctoris & Professoris, Collegae Majoris, Ecclesiarum Collegiatarum, SS. Omnium Crac: PRÆPOSITI, Scholastici Curelovienfis, ad S. FLORIANVM Canonici, Korczynen: Curati, Librorum per Dioecesim Crac: Ordinarij Censoris, Canonizationis Beati IOANNIS CANTII, Procuratoris, Contubernij Hierosolymitani Provisoris, S. R. M. SECRETARII, ALMÆ VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS, Generalis, & Vigilantissimi RECTORIS.